

familiam tuam fervet. D. Friderico Tetzelio plurimam salutem.

Basileæ 12. Julii 1579.

Grynæus tuus.

### EPISTOLA III.

Noribergam scripta.

**S** Credo, amicissime D. Compater, interea meas literas a quodam Silesio Studiofo, redditas, in quibus Hechtmeierum bona fide mihi satis fecisse, D. Parenti tuo scripsi, & una Theses J. C. nostrorum tibi misi. Ad dam nunc alias, ut quibus de rebus actum sit, videas. Heri tuas accepi, quos 8. Augusti dederas: ac fateor me iis exhilaratum, læto nuncio de fausto reditu tuo in patriam. (a) Me quod attinet, cum incredibili quodam Noribergæ videndæ desiderio afficior, eam præcipue ob causam, ut  $\Phi\omega\sigma\eta\rho\alpha\varsigma$  (b) quosdam, qui apud vos sunt, coram videre & alloqui possim,  $\sigma\upsilon\nu\epsilon\chi\theta\eta\mu\omicron\nu$  & comitem esse potuisse

(a) forte ad invisendos parentes, & consultatione inita hinc ad exteros abeundi gratia.

(b) hæc lumina Grynæo tam grata sine dubio fuerant Helingus, Durnhoferus, Herdesianus & id genus alii, de quibus alibi & ex parte in vita Helingi.